Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 751

Quelle:
Copyright:

tantum auctoritatem habet ex ſacris ſcripturis et ſanctorum patrum decretis, hoc eſt iuramentum.

VIII. *fol.* 79. p. 2. *Miracula ſancti Thomę Martiris.* Eſt hic *Thomas Becket* Archiepiſcopus *Cantuariae* in Eccleſia propria, ut notum, trucidatus an. 1170. de cujus vita *Quadrilogum* habes cum ejus *Epiſtolis* editum a *Chriſt. Lupo Bruxell.* 1682. 4. Nulla ibi *Miraculorum* enumeratio; bene vero T. IV. *Opp. Th. Stapletoni, Lut. Pariſ.* 1620. f. p. 971. Sed diverſa ſunt noſtra, numeroque tantum *ſex*, nullis perſonarum, locorumve nominibus inſignita. Ad ea ſic ingreditur Autor: *De miraculis beati Thome martiris quantum lingua noſtra certitudinis ualet proponere. breuiter uolo propalare non tacendo ſed loquendo.* Miraculis ſubjecta eſt breviſſima de ejus vita et Morte relatio, ubi illud contra communem opinionem: *iuſſu Regis* caeſum fuiſſe. Claudit Narrator: *Horum omnium teſtis ſum in hoc quod uidi. et affirmare poſſum non ſolum uera eſſe. ſed veriſſima.* An itaque unus e *Quadrilogi* Interlocutoribus, *Johannes Sarisberienſ. Heribertus de Boſabam, Wilbelmus Cantuar. Alanus de Obesbery?* an quidam Diſcipulorum et Familiarium *Thomae*, quorum nomina poſt *Quadrilogum* edit. *cit.* p. 157. recitantur?

IX. *fol.* 81. *Incipit Prologus in nouam editionem paſſionis XI. milium virginum. Herm. Crombachius*, qui de hoc piae credulitatis argumento *Coloniae* 1647. vaſtum in f. *Tomum* publicavit, *triplicem* eidem de S. *Urſulae* certamine vetuſtam *Relationem* inſeruit: primam, quam putat a S. *Cuniberto* Ep. *Colon.* circa an. 644. concinnatam, quamque *Surius Actis SS.* intulit; alteram e Revelationibus *Eliſabethae Schönaugienſis*, tertiam e Revelationibus *Anonymi*, quem *Hermannum Steinfeldienſ.* credit, utramque Sec. XII. Noſtram ab his diverſam, Seculo tamen eodem, et quidem viva *Eliſabetha* adeoque ante an. 1168. ſcriptam conſtat ex *Prologo*, e quo quaedam excerpam. *Legentibus paſſionem ſanctarum uirginum colonienſium* (antiquiſſimam illam) *dubitatio non nulla oriebatur. eo quod ſecundum tenorem illius relationis abſque virorum ſolatiis longiſſimam peregrinationem peregerunt.* Per *virorum ſolatia*, ut fuſius dein exponitur, gubernatio et reparatio navis, itemque commeatus procuratio intelligitur. Subdit dubitationem nunc diſcuſſam eſſe. *nuper enim uidelicet imperante frid.* (I. ergo poſt an. 1152.) *in loco quo ſanctarum uirginum ſeruantur exuuie* (Coloniae 1155.) *inuenta ſunt corpora ſanctorum epiſcoporum aliorumque magnorum martirum. quod tytuli cum ipſis inuenti ſatis exprimunt. Eſt autem monaſterium quoddam in territorio magontino. non procul diſtans a reno flumine ſconouwa* (Schonaugia, Schönau) *in quo cum aliis ſacris uirginibus uirgo quedam conuerſatur mire ſimplicitatis et humilitatis.*